№ 12. **Dodatek do Tygodnika katolickiego.** do № 36.

ARCHIDIECEZYA LWOWSKA.

CURRENDAE

Consistorii Metropolitani Leopoliensis rit. lat.

In Ecclesiasticis.

Annus 1859.

Nr. 473.

5. *Concursualium examinum praxis regulatur.*

Articulus XXIV. Conventionis inter SS. D. N. Pium Papam IX. et Suam C. R. Apostolicam Majestatem initae, sancivit: „Parochiis omnibus providebitur publico indicto concursu, et servatis Concilii Tridentini praescriptionibus."

Quum vero praxis iu ditionibus Austriacis a longa annorum serie eatenus vigens, non parum a praescriptis Concilii Tridentini recesserit, et Antistites Imperii censuerint, optandum esse, ut praxis haec manuteneri permittatur, SS. D. N. Pius IX. litteris suis, die 17. Martii 1856 ad omnes Austriae Anstitites datis rescribere dignatus est: „Nobis autem innotuit, in quibusdam germanici Territorii Dioecesibus aliquas circa parochiarum potissimum collationem invaluisse consuetudines, et nonnullos ex Vobis optare, ut hujusmodi consuetudines serventur; Nos quidem propensi sumus ad adhibendam indulgentiam, postquam tamen easdem consuetudines ab unoquoque Vestrum specialiter, ac per diligenter expositas debito examine perpenderimus, ut eas intra illos permittamus limites, quos necessitas et praecipua locorum adjuncta suadere poterunt."

Talem specialem consuetudinum Nostrae Archidioecesis expositionem, una cum congruis precibus S. Sedi Apostolicae sub die 11. Octobris 1858 substravimus, atque recenter decisionem desuper recepimus tenoris sequentis:

„Ex Audientia SSmi"
„Die 28. Januarii 1859."

SSmus Dominus Noster Pius Divina providentia PP. IX. referente me infrascripto Secretario S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae, attentis circumstantiis animum suum moventibus Ordinario Leopoliensi l. r. ad decennium hinc proximum tantum benigne concessit, ut vigentem in sua Dioecesi praxim exercere pergat, habendi scilicet bis in anno concursus, pro approbandis *quoad scientiam* Sacerdotibus, qui parochorum munere fungi velint. Id tamen ea lege concessum voluit, ut hujusmodi concursus habeantur per Synodales examinatores ad Sacrorum Canonum normam electos, veluti monet Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana, lib. IV. cap. VII. et quoties hi desint, per Examinatores Pro-Synodales Apostolica Auctoritate peculiariter delectos diligenter servatis Canonicis Sanctionibus, ac praesertim Apostolicis ejusdem Benedicti XIV. litteris, quae incipiunt „Cum illud" Ut autem Sacerdotes admittantur ad ejusmodi concursus, iis dotibus pollere debent quas Sacri Canones, et lex Dioecesana postulant, ac tum voce tum scripto respondere debebunt quaestionibus, quae ab Examinatoribus fuerint propositae, quaeque inter caetera *de positiva*, uti dicunt Dogmatica, et Morali Theologia, itemque de positivo Jure Canonico erunt ferendae. Quovis exeunte sexennio qui approbati fuerint, denuo concursui se sistant, oportet, a quo onere ii dumtaxat ecclesiastici eximentur viri, qui in praesentia inter Synodales vel pro-Synodales Examinatores sint adsciti, quique propter muneris aut beneficii, quo fruuntur, dignitatem, vel propter diuturnam operam, qua Ecclesiae cum laude servierunt, de eorum scientia probationem satis, superque exhibeant, quique iccirco ab Ordinario, audita Examinatorum sententia ab hac concursus lege immunes fuerint declarati. Praeterea Ssmus Dnus Noster permittit, ut cum quaevis paroecia suo fuerit orbata Rectore, prae oculis habita praedicta approbatione quoad scientiam, habeatur per commemoratos Synodales, aut Pro-synodales Examinatores de collatione concursus, in quo ipsi eam adhibentes cautionem, quae in usu est, judicent, qui ex petitoribus digni sint, quibus parochia sit conferenda, servato tamen semper Ordinario jure eligendi inter sic approbatos, quem ipse digniorem in Domino censuerit. Contrariis quibuscumque minime obfuturis. Datum Romae e Secretaria ejusdem S. Congregationis die, mense, et anno praedictis."

Joseph Berardi, m. p.
(L. S.) *Secretarius.*

Hanc itaque concessionem debito cum obsequio executioni mandantes, postquam diligenter expenderimus ea, quae S. Concilium Tridentinum Sess. 24 c. 18 de reform. tum Decretum S. Congregationis Concilii die 10. Januarii 1721 editum, atque Clementis XI. assensu firmatum, nec non Constitutio Benedicti XIV. de die 14. Dec. 1742, incipiens a verbis: *„Cum illud"* praescribunt, denique quae idem Pontifex in praeclaro suo Opere de Synodo Dioecesana lib. IV. Capite VII. exponit — sequentia in futurum servanda decrevimus salvo semper jure futuri Archipraesulis praesentes dispositiones nostras ita modificandi, prout in Domino expedire judicaverit.

1. Examen candidatorum pro beneficiis curatis instituetur duplex — alterum *„quoad scientiam"* alterum quoad reliquas requisitas qualitates, videlicet: *„aetatem, mores, prudentiam, et alias res ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunas"* ut ait Conc. Trid. Ses. 24 c. 18 de reform.

2. Utrumque examen instituetur per Examinatores prosynodales, vigore facultatis a S. Congregatione Concilii die 2 Augusti 1858. Nobis tributae, de consensu Reverendissimi Capituli Ecclesiae Metropolitanae a Nobis nominatos, atque ad mentem dispositionis Concilii Tridentini juramento obstrictos.

3. Utrumque examen instituetur Leopoli tantum, attamen personalis praesentia Candidatorum nonnisi in examine „quod scientiam" requiritur.

4. Examen „quoad scientiam" bis de anno, ut hucusque moris erat instituetur, primis diebus Maji videlicet et Octobris, in Schematismo dioecesano quotannis in antecessum notificatis.

5. Valor examinis „quoad scientiam" ad sexennium proximum, a die ejusdem examinis computandum protenditur, ita ut Candidati in eodem approbati respectu doctrinae habiles censendi sint, quibus qualecumque vacans beneficium intra respectivum sexennium conferatur.

6. Ab examine quoad scientiam dispensari a Nobis *„audita examinatorum sententia"* poterunt sacerdotes, qui illis pollent qualitatibus quas superius Rescriptum Ponficium, hoc fine expostulat. Attamen petita pro obtinenda tali dispensatione, opportunis adminiculis instructa, seorsive et tempestive sunt exhibenda, non vero promiscue cum petitis pro obtinendo aliquo beneficio proponenda. Audita itaque super talibus petitis opinione Examinatorum, Ordinariatus notificabit singulis Canditatis, num et in quantum praecibus eorum delatum sit.

7. Candidati ad examen quoad scientiam admitti cupientes, tempestive ante terminum pro tali examine praefinitum, insinuationes suas exhibeant, oportet. Quum autem SS. Dominus statuerit ad hoc examen illos tantum admitti posse Candidatos, qui iis pollent dotibus „quas sacri Canones et lex Dioecesana postulant" hinc inhaerentes antiquae praxi Dioecesis Nostrae, et Cunclusis Antistitum Vindobonae anno 1849 congregatorum, decernimus eos tantum sacerdotes ad subeundum examen quoad scientiam admittendos esse, qui saltem per tres annos in cura animarum cum laude versabantur, aut saltem per idem temporis spatium facultate confessiones fidelium excipiendi instructi erant.

8. Examen quoad scientiam ex iisdem, ut hucusque moris erat, materiis instituetur videlicet: e Dogmatica positiva, e theologia morali, e positivo jure canonico, e paraphrasi S. Scripturae N. F. tum e theologia pastorali atque arte catechetica, et methodica, atque Candidati ad quaestiones ex hisce materiis sibi propositas, *„tum voce tum scripto"* respondebunt prout mandat supracitatum Rescriptum Pontificium.

9. Examen scriptum uno absolvetur die; videlicet tribus horis ante meridiem et pariter tribus post meridiem. Proponentur vero Candidatis sex quaestiones, una videlicet e quavis materia, quaestiones hae autem tales erunt, quae ad praxim in cura animarum proxime sese referant — nec subtiles, nec longioribus disceptationibus obnoxiae. Ad scripto resolvendam quamlibet quaestionem spatium unius horae assignabitur, qua effluxa candidati elaborata sua illico reddenda habent, sive illa jam plenarie terminaverint, sive non.

10. Quum decretum S. Congregationis Concilii de die 10. Januarii 1721, quod quoad integrum suum tenorem, in Constitutionem Benedicti XVI. *„Cum illud"* receptum est, puncto 4o praecipiat, ut *„concurrentes omnes in conclavi claudantur, unde quamdiu scribent nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint et exh berint."* cautela haec sancte erit servanda, nec usus quorumpiam adminiculorum, (exceptis Sacra Scriptura et Concilio Tridentino) sub ullo praetextu permittetur. Contra agentes pro resilientibus ab examine habendi erunt.

11. Responsa ad quaestiones latino sermone exaranda sunt, attamen ex theologia pastorali tum Catechetica et Methodica etiam lingua vernacula conscribi possunt. Conciuncula pariter idiomate vernaculo conscribenda est, omnia vero elaborata a respectivis Candidatis propriis manibus tam scribenda quam subscribenda sunt, ut monet idem Decretum S. Congregationis Concilii, punctis 5o et 6to.

12. Altero die Candidati oraliter pertentabuntur, conciunculasque suas pridie compositas, vel alias nefors quas ipsi maluerint, perorabunt. Quibus absolutis examen quoad scientiam terminatur.

13. Super peracto examine quoad scientiam Consistorium extradet Candidatis approbatis testimonium ejus tenoris: quod nimirum Candidatus NN. in examine prosynodali, in vim altiusfati Rescripti Pontificii quoad scientiam solam diebus... instituto approbatus extiterit, ipseque respectu scientiae habilis renuntiatus fuerit, cui intra proximum sexennium a die examinis computandum, quodcumque vacans beneficium curatum conferatur. Candidati reprobati simpliciter tantum de infausto eventu examinis sui informabuntur.

14. Quum superius laudata Resolutio S. Sedis Apostolicae statuat, in examine quoad reliquas, praeter scientiam, dotes Candidatorum eam adhibendam esse „cautelam, quae in usu est" hinc expresse manutenemus praxim, vigore cujus Candidati, beneficium quodpiam anhelantes in termino praefixo petita sua Consistorio exhibeant, illisque omnia ea apponant documenta, e quibus aptitudo eorum etc. idoneitas ad beneficium ad quod aspirant perspici possit; videlicet litteras ortus, testimonia studiorum, testimonium super peracto examine concursuali quoad scientiam, applicationis instrumenta, obtenta nefors collaudationum decreta, nec non sic dictam tabellam qualificationis, aliaque, quae ad rem facere possunt.

AA.RR.DD. Decani foranei petita talia ad Consistorium promoventes, opinionem suam apponent; meminerint autem conscientiam ipsorum super veritate effatorum suorum graviter oneratam remanere, illosque teneri ad candide patefacienda non tantum ea, quae in favorem Candidati tendunt, sed etiam illa, quae iisdem minus favent; Quapropter observationes suas, praesertim quoad prudentiam et mores Candidatorum, omni humana affectione postposita, nullis importuni sprecibus cedendo, ac sine ulla reservatione pandere obligari. In ipsosmet enim redundaret culpa, si regimen animarum indignis confideretur manibus, et rationem de animabus, per id jacturam passis, in stricto Dei judicio reddere obligarentur.

15. Candidatorum per Examinatores pro inhabilibus declaratorum Consistorium circa faciendam sic dictam propositionem, nullam habebit rationem, illisque petita absque effectu restituet.

Leopoli die 30. Martii 1859.

N. 473.

INSTRUCTIO

pro Examinatoribus prosynodalibus Archidiœcesis Leopolitanæ.

Munus Examinatorum synodalium, eisque subrogatorum prosynodalium, maximi esse momenti, vel plurimum ex eo patet, quod S. Tridentina Synodus Sess. 23. c. 18. de reform. illis judicium de habilitate vel inhabilitate Candidatorum ad munus parochorum aspirantium confidit, perpendendo: „expedire maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochias gubernari" — quodque eadem S. Synodus ad obtinendam omnimodam securitatem negotium adeo grave ea qua par est cum exactitudine tractandum esse, praecipiat ut Examinatores: „jurent omnes ad Sancta Dei Evangelia, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros, Caveantque, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante, nec post accipiant: alioquin simoniae vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant; et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo provinciali, si opus erit rationem reddere teneantur; a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint." Quae omnes dispositiones fere verbotenus in Acta Synodi Dioecesanae Leopoliensis sub Archiepiscopo Sierakowski anno 1765. celebratae Sess. III. Cap. II. insertae extitere. Necesse est proinde, ut viri tanta auctoritate condecorati, munus suum conscientiose et accurate adimpleant, servantes omni cum exactitudine ea, quae saluberrimis ecclesiasticis legibus quoad examina concursualia statuta sunt. Quapropter huc spectantia praescripta, et imprimis Conc. Trid. Sess. 24. c. 18. de Reform., tum litteras S. Congregationis Concilii de die 10. Januarii 1721. Clementis XI. assensu firmatas — nec non Constitutionem Benedicti XIV. de die 14. Decembris 1742. incipientem. „Cum illud" denique Rescriptum a Sacra Congregatione negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita, ex Audientia SSmi die 28. Januarii 1859. editum, quo mediante quaepiam modificationes pro nostra Archidioecesi concessae extiterunt, continuo mente revolvant, atque prae oculis habeant.

Jam quidem habito respectu ad praxim, quoad examina concursualia hactenus apud nos vigentem, in sequelam moxfati Rescripti, medio Currendae ad Clerum sub hodierno editae, illa ordinavimus quae ad notitiam universi Cleri perferre opportunum congruumque videbatur. Ut autem in futurum necessaria uniformitas circa executionem horum praescriptorum obtineatur, sequentia adhuc in nexu Currendae sub hodierno evulgatae, P. T. Dominis Examinatoribus notificanda censebamus.

Ut e supracitato Rescripto patet, interventio Examinatorum triplici sub respectu necessaria est, et quidem:

I. in examine quoad scientiam,
II. in examine quoad reliquas, praeter scientiam, qualitates,
III. in elargiendis dispensationibus ab examine quoad scientiam.

De his itaque in specie agemus.

I. De examine quoad scientiam.

§. 1. Ante diem examinis designabuntur ab Ordinario adminus tres Examinatores e numero prosynodalium, porro Cancellarius Concursus, et si visum fuerit etiam ejusdem Substitutus. Si Ordinarius ipse huic examini assistere non posset, designabitur pariter ejus vices gerens. Cuivis e designatis Examinatoribus assignabuntur simul materiae, e quibus questiones habeat proponendas, ita quidem, ut si tres tantum adsint Examinatores, cuilibet eorum duae materiae obtingant. Pro examine scripto praeparanda est una quaestio e quavis materia, pro tentamine autem orali tot quaestiones ex singulis materiis, quot Candidati pertentandi erunt. Insuper, si Ordinario videbitur, invitandi erunt illi Examinatores, ad trutinandas praevie inter se quaestiones proponendas. Quodsi plures quam tres deputati fuerint Examinatores, nihilominus numerus quaestionum non augebitur, sed normae instar inserviat, quod cuilibet Candidato una tantum quaestio ex singula quavis materia in examine scripto, et pariter una in examine orali — adeoque in toto sex quastiones in scripto, et sex in orali ad resolvendum proponendae sint.

§. 2. Quaestiones omnes proxime ad praxim in cura animarum sese referant, non sint subtiles et longioribus disputationibus obnoxiae, sed in basi positiva fundatae — atque ita compositae, ut quaevis quaestio scripto intra tempus unius horae, etiam a Candidato mediocris ingenii absque difficultate resolvi valeat.

§. 3. Quaestiones latino sermone proponantur — excepta tamen pastorali, et Catechetica cum methodica, e quibus idiomate vernaculo concipiendae sunt. Similiter textus S. Scripturae, et cohaerens cum illo materia super quibus Candidati conciunculam componendam habent, sermone vulgari proponenda sunt.

§. 4. Quum intra spatium unius horae integram conciunculam componi vix possibile sit, hinc sufficit, ut Candidatus tantum proëmium concionis per extensum, et argumentum ipsius concionis, una cum divisione materiae conscribat.

§. 5. Primo, ad examen scriptum praefinito die, hora media nona convenit integrum deputatum examinatorium, id est designati tres pluresve Examinatores una cum Ordinario aut ejus vices gerente — nec non Cancellario concursus — advocanturque omnes examinandi Candidati. Ordinarius, aut ejus loco praesidium examinis gerens paucis verbis tentamen inchoari edicit, admonet Candidatos, ne vetitis adminiculis uti praesumant, clausuram annuntiat eo addito, Candidatum, qui nihilominus egredi auderet, pro resiliente ab Examine habendum esse.

§. 6. Post haec omnes examinatores praesentes, quaestiones suas, ad examen scriptum praeparatas, scripto consignatas, obsigillatas, et in obvolucro inscriptione, quam materiam quaestio respicit, munitas, tradunt Cancellario Concursus, qui sonante hora nona profert quaestionem e Dogmatica positiva, eamque resigillat, ac alta voce Candidatis dictat.

§. 7. His peractis examinatorium discedit, remanente tantum Cacellario, aut ejus substituto, qui ostium claudit, et clavim apud se retinet. Idem Cancellarius conficit protocollon, in quo tam nomina Examinatorum, quam eorum Praesidis, et omnium Candidatorum adnotabit, atque ordinem integro tractu examinis servatum, singillatim consignabit. Invigilabit insuper conscientiose, ne Candidati inter se communicationes foveant, ne scripta quaepiam aut libros (praeter S. Scripturam et Concilium Tridentinum) evolvant, neve exeant e conclavi permittet, item nemini alii conclave ingredi concedet. Si quae adversus hanc ordinationem moliri observaverit, in protocollo accurate adnotabit. Et Cancellarius Concursus, conscientiam ejus super observatione horum graviter oneratam esse, ipsumque pro re nata responsabilem et poenis obnoxium fieri posse.

§. 8. Ad sonitum horae decimae recipit Cancellarius elaborata Candidatorum, sive sint ex integro absoluta, sive non — eaque ab Elaborante subscribi faciat, nec non ipse subscribet. Statimque resigillabit secundam quaestionem quae erit e Theologia morali, illamque Candidatis dictabit.

§. 9. Idem modus servandus est quoad reliquas quaestiones, quae sequenti ordine erunt proponendae: hora undecima, quaestio e positivo jure canonico; hora tertia a meridie paraphrasis S. Scripturae novi Foederis, hora quarta textus et mateia pro conciuncula componenda, hora quinta denique quaestio e pastorali conjuncta cum catechetica et methodica.

§. 10. Hora duodecima Cancellarius, postquam elaborata omnia e jure canonico receperit, ostium aperit, Candidatique ad sumendum prandium discedunt, ad sonitum horae tertiae certo certius denuo conventuri.

§. 11. Hora sexta vespertina, receptis per Cancellarium elaboratis e pastorali, clauditur examen scriptum.

§. 12. Scripta Candidatorum elaborata „non solum ab eo, qui scripsit, atque a Cancellario concursus, verum etiam ab Examinatoribus, et ab Ordinario, vel ejus Vicario qui concursui interfuerunt“ subscribenda esse, monet decretum S. Congregationis Concilii de die 10. Jan. 1721.

§. 13. Altera die hora nona mane convenit illud ipsum Examinatorium una cum suo Praeside et Cancellario, nec non examinandis, pro tentamine orali. Ad hocce quaestiones pariter ut supra obsigillatae adferuntur, ita quidem, ut e quavis materia tot sint quaestiones quot Candidati examinandi, quum ob praesentiam omnium examinandorum impossibile sit, *easdem* omnibus Candidatis proponere quaestiones; justitiae tamen et aequitatis ratio postulat ut saltem quoad difficultatem in resolvendo omnes quaestiones pares sint. Quum porro in examine orali nulla conciuncula componenda veniat, hinc separata quaestio e pastorali, et seorsiva ex Catechetica et Methodica erit proponenda.

§. 14. Clauso denuo ostio, Examinatores sedes suas capiunt, sedentibus ex adverso Candidatis juxta ordinem alphabeticum nominum. Cancellarius recipit omnes quaestiones e Dogmatica positiva, illasque in urnam injicit, quam praesentat primo ex ordine Candidato quaestionem unam sorte extracturo. Candidatus ipse extractam per se quaestionem resigillat, illam alta voce perlegit, et oraliter respondet. Absoluto responso quaestionem Cancellario reddit. Ita faciunt successive reliqui Candidati. Postquam omnes Candidati quaestiones suas e theologia dogmatica responderint, injiciuntur in urnam quaestiones e Morali — et sic porro quaestiones e reliquis materiis juxta ordinem materiarum supra §. 9. praefinitum.

§. 15. Cancellarius Concursus in protocollo suo diligenter adnotabit verbotenus quaestiones propositas et nomina Candidatorum quibus obtigerunt — schedulas autem quae continent quaestiones, protocollo apponet.

§. 16. Pertentatis ita singulis Candidatis, finis imponitur tentamini orali.

§. 17. Die eodem hora tertia pomeridiana denuo convenit examinatorium, singulique Candidati (semotis tamen reliquis Candidatis) perorabunt proëmium conciunculae suae pridie compositae— aut alterius cujuspiam, quam ipsi maluerint.

§. 18. Quodsi tempus suppeteret, statim finitis omnibus perorationibus, et Candidatis domum dimissis — secus vero una e proximis die, congregatur Examinatorium pro scrutinio tentaminis. Cancellarius ejusve Substitutus alta voce perlegit singula elaborata, et revocat, si opus sit, in memoriam, quaestiones a quovis Candidato oretenus resolutas. Post haec brevi aliqua deliberatione inter examinatores peracta, singuli Examinatores soli vota sua proferunt, non quoad singula responsa in specie, non per modum classificationis, more scholae, classes, ut ajunt, emensurando, sed simpliciter et in globo, num Candidatus approbandus vel reprobandus sit. Ordinarius vel ejus loco fungens nullum profert votum, nisi necessitas emerserit paria vel singularia dirimendi vota. Cancellarius notat in protocollo conclusum, et post haec claudit protocollon, quod dein Consistorio exhibet.

II. De examine quoad reliquas, praeter scientiam, dotes.

§. 19. „Cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior seu magis idoneus ad id (sc. animarum) regimen habeatur, vel etiam habendus sit“ ut ait Decretum S. Congregationis Concilii de die 10 Januarii 1721. — hinc non tantum scientiam Candidatorum, sed etiam eorum *aetatem, mores, doctrinam, prudentiam, et alias res ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunas* diligenter ab examinatoribus scrutandas esse. Sacra Tridentina Synodus praecepit. Et Benedictus XIV in Constitutione „Cum illud“ enixe commendat Examinatoribus, ut probata Candidatorum scientia „parem ni forte majorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus regimini animarum consentaneis, morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus Ecclessiae obsequia, aquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocienda, hisque omnibus conjuctim expensis, inhabiles per sua suffragia rejiciant, et idoneos Episcopo renuncient“ Hujus vero examinis peragendi sequens adoptatur modalitas.

§. 20. Elapso termino pro competitoribus alicujus vacantis beneficii a Consistorio statuto, antequam res ad deliberationem in Sessione Consistorali deveniat, deputabuntur ab Ordinariatu tres pluresve Examinatores e numero prosynodalium, nec non si Ordinarius quominus praesens sit impeditus foret, ejus vices gerens, et Cancellarius concursus.

§. 21. Cancellarius Consistorii trutinatis diligenter petitis Competitorum, una cum productis allegatis, concomitationibus Decanorum aliisque ad rem facientibus actis conficiet notulam compendiariam quoad singulorum merita, qualitates et requisita conformiter his, quae eatenus Constitutio „Cum illud“ puncto III. praescribit — et singulis examinatoribus designatis, nec non Ordinario, aut ejus in tentamine isto vices supplenti, exemplar hujus notule tradet.

§. 22. Praefinito ad examen die, convenit examinatorium et subjectis penitiori trutinio praefatis qualitatibus Candidatorum, inspectisque nefors documentis, e quibus illa notula compendiaria redacta est, sententiam suam de habilitate vel inhabilitate Candidatorum ad anhelatum beneficium profert — quin tamen opinionem suam depromat, utrum et quales Candidati ex approbatis magis idonei sibi videantur. Ordinarius vel ejus Vicarius tunc tantum votum suum proferendum haberet, si examinatorum vota paria vel singularia essent, adeoque dirimenda forent.

§. 23. Cancellarius Concursus huic deliberationi praesens conficiet protocollon, atque in illo conclusum adnotabit — exemplaria notulae compendiariae ab Examinatorio recipiet, et protocollo apponet, illudque Consistorio exhibebit.

III. De dispensationibus ab examine quoad scientiam.

§. 24, Quum tales dispensationes in fundamento obtentae a Sacra Sede Apostolica ad decennium licentiae concedere, non justitia urgeat, sed aequitas interdum suadeat, quumque indultum Pontificium Ordinario tantum injungat, ut tales dispensationes non largiatur, nisi *„audita Examinatorum sententia“*, hinc nil obstat, quominus Ordinarius petita talium sacerdotum, quos hujus gratiae indignos judicat, ipse absque effectu retundat quin omnino praevie Examinatorum opinionem eosuper exquirat.

§. 25. Imo votis Examinatorum hoc sub respectu non tam arcte adstrictus est Ordinarius, ut in Examine ipso; quum eorum sententiam nonnisi audire debeat ac proinde etiam contra opinionem illorum dispensationem tribuere, vel denegare poterit, prout in Domino expedire judicaverit.

§. 26. Neque solemnitates in Examine servandae, tunc necessariae apparent, quando de trutinio quaestionis quoad dispensationem agitur. Ac proinde Ordinariatus petita Candidatorum, hunc favorem ambientium simpliciter communicabit aliquot a se designandis Examinatoribus e numero prosynodalium, qui opinionem suam pandant, num et qua ratione Candidatus dispensandus sit, videlicet num pro unica vice, id est, donec obtinuerit beneficium, vel vero ad aliquod determinatum tempus (puta ad tres aut sex annos) vel denique pro semper.

§. 27. Ut dissonis interpraetationibus illius passus Rescripti Pontificii de die 28 Januarii 1859, ubi de dispensationibus ab examine quoad scientiam sermo fit occurratur, re mature perpensa atque Consistorii Metropolitani opinione audita, illi adhaeremus sententiae, quae censet, Examinatores prosynodales ipsos, quamdiu hoc munere funguntur, exemtos esse ab obligatione tentamen quoad scientiam subeundi. Quinimo alios etiam ecclesiasticos viros, qui pollent dotibus in suprafato Rescripto recensitis, ab examine quoad scientiam dispensandi facultatem Ordinario tributam extitisse.

Dum superius exposita servanda proponimus, invitamus simul P. T. Dominos Examinatores, ut observationes suas tractu temporis experientia duce coligendas, Ordinariatui communicare velint, et si quaepiam in praxi minus utilia vel congrua apparerent, opportunas modificationes intra limites lege praefinitos introducere haud haesitabimus.

Nr. 750.

6. *Festa S. Laurentii M. et SS. Innocentium sunt de numero suppressorum in quibus Missa pro populo applicanda est.*

Publicantes medio Currendae dto. 29. Julii 1858 Nr. 1715 Encyclicam SS. D. N. Pii IX. quae incipit: *„Amantissimi Redemptoris“* die 3. Maji 1858 de obligatione Parochorum, aliorumque curam animarum actu exercentium, Missae Sacrificium etiam in festis suppressis pro populo applicandi editam, annexuimus excerptum e Constitutione Urbani VIII. *„Universa“* ubi specifice recensentur dies, quibus Missa pro populo applicanda est. In hoc tamen excerpto duo festa, videlicet S. Laurentii M. et SS. Innocentium omissa extiterunt; quo factum est, ut etiam in Directorio Divini Officii pro anno currente typis evulgato, eadem duo festa non fuerint majusculis litteris impressa, prout id quoad alia suppressa festa, juvandae memoriae gratia, e mandato Nostro factum est.

Hunc itaque errorem supplentes, in nexu Currendae supracitatae notificamus: etiam festa **S. Laurentii M.** et **SS. Innocentium** esse de numero suppressorum: in quibus Missa pro parochianis applicanda est.

Hac occasione alium quoque errorem in Directorium anni currentis irrepsum emendandum habemus. Notatur enim ibidem sub die 25. Aprilis, Missam Rogationum feria secunda Paschae canendam esse cum Praefatione communi — et ad „Benedica-

mus Domino" duo Alleluja addenda esse — quum tamen juxta Gavantum (Parte IV. tit. XI. num. 10) in Missa Rogationum infra Octavam Paschae celebranda, *Praefatio paschalis* sumenda, et Benedicamus Domino *sine duobus Alleluja* canendum sit.

Antonius Eques de **Manastyrski** m. p.
Vicarius Capitularis.

Ex Consistorio Metropolitano r. l.
Leopoli die 30. Martii 1859.
SEVERINUS MORAWSKI m. p.
Cancellarius.

DIECEZYA PRZEMYSKA.

Nr. 433.
Obligationum publicarum ex annis 1851. et 1852. transmutatio qua via exoperanda.

Altum c. r. Locumtenentiale intimatum ddt. 13. Februarii a. c. Nr. 6230. Venerabili Clero Dioecesano pro notitia et directione communicatur.

Co się dotyczy podania wysokiego ministeryum finansów z dnia 5. Grudnia z. r. L. 4913. wysokie ministeryum spraw duchownych pod dniem 14. Stycznia r. b. L. 18228. uchwaliło, że obligi państwa po 5% pożyczki z r. 1851. Seria A. i pożyczki waluty bankowéj z r. 1852., które się wedle odnośnych podań w posiadaniu funduszów i zakładów, pod zarządem będących, znajdują, w drodze kas, przy których procenta są do wypłacenia, lub jeśli wypłata przy kasie długów państwa nastąpi, bezpośrednio z wykazami in duplo przy wyraźném odwołaniu się na ukaz ministeryum finansów z dnia 5. Grudnia 1860. L. 4913. do przepisania resp. zmienienia na c. k. kasę długów państwa w Wiedniu przesłane być mają, która za to 5% obligów państwa za dawniejsze pożyczki z równą intestacyą i odpowiednią prowizyą, w tylu pojedyńczych pozycyach kapitałowych, ile każdy zażąda, wypłaci.

Po przedsięwzięciu tego przepisania albo zmienienia, przez co odnośne fundusze i zakłady żadnéj jakiéjkolwiekbądź straty ponieść nie mogą, prześle kasa długów państwa nowe obligacye odnośnym funduszom i zakładom na téj saméj drodze, na któréj ją doszły przepisać się mające efekta.

Prześwietnemu Konsystorzowi poleca się więc, aby podwładnym sobie duchownym, w którychby ręku takowe obligacye się znajdowały, nakazał przesłać je odnośnym kasom, które względem odbierania i dalszego odsyłania takowych do kasy długów państwa równocześnie stósowne otrzymają wskazówki.

Zarazem wysokie ministeryum postanowiło, aby dla uniknienia niepotrzebnych przesyłek efektów takie tylko obligacye w powyższy sposób odsyłano, które z pożyczki z r. 1851. Seria A. (nie zaś obligacye abluicyi) i z pożyczki waluty bankowéj z r. 1852. pochodzą.

Premisliae, die 11. Martii 1861.

Nr. 6./praes.
Innovatur procedendi modus circa manutentionem ordinationis hujatis ddto. 20. Januarii 1860. Nr. 2371.

Deductum est ad Nostram notitiam, in quibusdam locis praesertim anteacti Circuli Jasloensis concitationem populi adversus Judaeos recenter rursus invaluisse, auctam quoque ex eo, quod quidam animarum Curatores circa manutenentionem hujus Ordinationis ddto. 20. Januarii 1860. Nr. 2371. de non praestandis apud Judaeos servitiis, inconsideratis ac offensivis expressionibus usi fuerint.

Quapropter hujates Ordinationes ddt. 13. Maji 1860. Nr. 72./praes. et ddt. 26. Maji 1860. Nr. 75./praes. quibus Venerabili Clero enixissime commendatum fuit, ut omnia, quae populum fidelem adversus Judaeos concitare, et ad odium ac persecutionem Judaeorum inducere possent, studiosissime evitare studeat, utque officia christianae justitiae et charitatis erga Judaeos populo fideli efficaciter ingerat, iterum innovare necessitamur, innovando quoque cautionem, ut limites hujatis Ordinationis ddt. 20. Januarii 1860. Nr. 2371. nullatenus excedendo, spiritualibus nonnisi mediis utatur, et ab omni interventione praepositorum communitatis plane abstineat, ne hi conflictui cum c. r. Instantiis politicis ac civilibus ullo modo exponantur.

Premisliae, die 11. Martii 1861.

Nr. 15./praes.
Devotionibus characterem politicarum demonstrationum praeseferentibus est ocurrendum.

Innotuit certe Vobis, Fratres Venerabiles! ex ephemeridibus et pervulgato passim rumore, nonnullis in ecclesiis cum frequenti concursu publicas devotiones, quae a privatis quibusdam personis aut sub titulo intentionis succurrendi animabus fidelium defunctorum aut alias qua Votivae desiderabuntur, peractas extitisse majori cum apparatu externo ac de more id fieri solet. Circumstantiae, quae ejusmodi devotiones comitabantur uti e. g. decantatio cantilenarum profanarum, distributio carminum tenoris politici, huc illucve etiam et concursus Judaeorum hanc tristem movent persuasionem: devotiones istas non sensu pietatis religiosae, sed potius studio politicarum demonstrationum provocata fuisse. Abhorrentes talem abusum divinorum Religionis Nostrae mysteriorum et profanationem domus Dei vivi, pastoralis Officii Nostri esse ducimus, tam conservandae sanctitatis tremendi sacrificii, quam tutandae excellentiae sublimis vocationis nostrae gratia ad vos charissimi filii, quibuscum communicare et partiri pastorales curas debemus, in praesenti animorum agitatione vocem attollere, nostraque aperire sensa.

Notum est Vobis, non tantum sacerdotem celebrantem, verum etiam omnes Missae Sacrificio praesentes non aliis rebus, quam illis, quae in Altari peraguntur contemplandis vacare debere, ne invitati verbis: „Sursum corda" ore potius, quam intima mente respondeant „Habemus ad Dominum" atque hoc modo exsecrentur Domini Sabaoth formidandis verbis: „Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me." Quam ob rem corda reipsa sursum erigere debent, ubi Christus est in dextera Dei sedens, ibi mens cujusque, ibi fixa sit cujusque cogitatio, ut cum Apostolo dicere possint: „Nostra autem conversatio est in coelis." Cessare ergo debet ex cordibus carnalis omnis et saecularis cogitatio et terrenarum rerum curae, omniumque mentes ardescere ad gratias Deo agendas oportet. Neque verbis modo, verum etiam, sicut Christus dilexit nos tradidit semetipsum pro Nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, ita et nos tanta ejus dilectione provocati, vicissim diligamus eum et exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam Deo placentem ea mente, ut sicut ipse posuit animam suam pro nobis, et nos animas nostras pro nomine illius ponere ac omnia prius facere et pati parati simus, quam ut unquam ab illius nos dilectione separari permittamus. Hoc animo tam sacerdotem, quam fideles missae sacrificio interesse oportet, ut cum salutari fructu Deo hostiam acceptam et placentem offere valeant. Nam externae ceremoniae nullus est illi adstanti usus, si non sit ex hac intestina voluntate profecta.

Ast dubitandum Nobis est, homines, qui cum devotione sacratissima quam celebrari a sacerdotibus expetunt, profana conjungentes, politicum characterem ipsi imprimere student, tali animi intentione Missae Sacrificio interesse, et una Vobiscum ardentis amoris et gratitudinis affectibus in hostiam ferri, quam benedicitis et tractatis. Non lachrymas non contriti cordis holocaustum tales offerre intendunt, externam ceremoniam quaerunt. Orare volunt in angulis platearum stantes, ut videantur ab hominibus. Nolite assimilari eis! Mementote charissimi! gratam repraesentationem immensi illius beneficii, quo Dei filius semetipsum pro Nobis tradidit in mortem, ut mundum universum a peccato et damnatione liberaret, non ideo esse peragendam, ut profanae demonstrationi inserviat. Mansuetissimum Agnum, qui ad occisionem ductus non aperuit os suum, qui pro transgressoribus et interfectoribus voce magna in cruce orabat, in istum finem sine sacrilegio immolare non licet. Hostiam reconciliationis ad animos potius sedandos, quam irritandos, ad charitatem potius inflammandam, quam odium excitandum peragite.

Ex his, quae hucusque monuimus, plane perspicietis, Nos quidem neminem chorum, qui in sinu sacrae matris Ecclesiae, atque Deo conjuncti ex hac vita decesserunt, suffragio precum aut communionis Sacrificii Missae privare velle; sast absit ut sacrosanctam ac vivificam hostiam placationis ad nutum passionum humanarum, non ad Deum propitiandum sed exacerbandum offeratis.

Universis itaque Rectoribus Ecclesiarum sive parochialium sive regularium tenore praesentium ordinamus, ne sub quocunque praetextu devotiones absolvere praesumant, quibus demonstrationes politicae quodammodo intenduntur.

Sedulo quoque invigilandum est, ut in Ecclesiis et coemeteriis nonnisi illa cantica intonentur, quae ab Ordinariatu sunt probata, et pia consuetudine longaeva in Ecclesia sunt recepta.

Ordinatio haec, pro notitia ac directione Rectorum Ecclesiae inserviat, volumus.

Premisliae, die 29. Martii 1861.

Adamus, Eppus.

Ex Consistorio Eppali rit. lat.
Premisliae, die 29. Martii 1861.
ADALBERTUS HARMATA, Cancellarius.

Właściciel i wydawca odpowiedzialny X. Prusinowski. — Czcionkami Augustyna Schmaedickiego.